

provincia, seu provinciis sibi commissis animo non redeundi arg. cap. *Nemini* 10, De offic. legati (33. Quarto per ejusdem legati revocationem a Papa factam. Dummodo tamen talis revocatio fuerit jam ipsi legato intimata, alias dum legatus ipsam revocationem ignorat, perseverat ejus jurisdictio et valida sunt quæ interim gerit, arg. cap. *Audita* 4, vers. *Quia tamen*. De restit. spol.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(54. De legato quæri solet, an ei asserenti munitum se specialiter a S. Sede esse quibusdam facultatibus, credendum sit?

(55. Affirmavit Rota in Polocen. Bonorum 21 Jun. 1726, § Porro, coram bon. mem. Cornel. et 7 Febr. 1729, § 9, et plur. sequent. coram clar. mem. Aldovrand. et 14 Maii 1731, § 6 et seq., coram bon. mem. Vicecom.

(56. Negasse autem videtur idem supremum tribunal in Nullius. seu Piscien. Beneficii 5 Mart. 1719, § 7, coram, bon. mem. Gama-ches, in Salamantina Beneficii 19 Jun. 1744, § eodem, et 24 Jan. 1746, § Pariter, coram clar. mem. Millin. et in Hildesimen. Manu- tensionis 17 Mart. 1749, § 19, et 4 Jul. ejusdem anni 1749, § 3, coram Eminentiss. Elephantus.

(57. Non male autem cardinalis Petra in Comment. ad Const. Apostol., const. 3 Alexandri III, sect. 2, n. 12 et sequent. — « Ego vero (inquit) in hoc distinguendum puto, aut agitur de re, quæ non sit directa in præjudicium tertii, etsi generaliter influat, et agatur de actu, qui generaliter concedi solet legatis, et tunc debet eisdem cre-

LEGISLATOR.

Vide verb. *LEX*, art. 2, per tot., et art. 3, a n. 13 ad 23.

LEGITIMA.

SUMMARIUM.

1. Legitima quid sit? — 2. Legitima quomodo, et quanta debeatur liberis, seu descendenti- bus? — 3. In descendenti-um numero compu- tandi sunt etiam qui hæreditati renuntiarunt, seu religionem incapem bonorum professi sunt. — 4. Non computandi tamen sunt in tali numero, qui legitime sunt exheredati, nec qui religionem incapem bonorum professi sunt. — 5. Liberi immediati de legitima participant in capita; nepotes autem, si plures sint filii unius ex liberis, tanquam unius patris personam repræsentantes, etiam unius tantum portionem participant in stirpem. Et si unicus sit nepos filius alterius liberi, tantum participat ex se solo, ac omnes illi plures simul. — 6. Si autem, nullis exstantibus liberis testatoris, exstant plures nepotes omnis filii unius solius liberi præmortui, tunc omnes isti nepotes succedunt in capita, et faciunt tantum numerum ad computandam legitimam, ac si essent immediati filii testatoris. — 7. Si vero nulli exstantibus liberis testatoris, plures exstant nepotes filii non unius tantum, sed diversorum liberorum dicti testatoris, tunc omnes isti nepotes non succedunt in capita, sed in stirpem, et quantitas eorum legitime metienda est a quantitate suorum genitorum. — 8. In solo defectu descendenti-um debetur legitima ipsa ascendenti- bus, et talis legitima debita ascendenti- bus universaliter est *triens*. — 9. Fra-

di, quia eo ipso quod legatus est a latere, habet ea omnia, quæ de jure, vel consuetudine illi debentur, etsi consequenter jus alterius lædatur, quia est præjudicium consequens actui necessario. Si vero actus, quem præstat, non sit a jure permissus legatis, et insuper agatur de re alteri præjudiciali, tunc debet ostendere facultates, quia vere non agit uti legatus, sed potius uti specialem facultatem exercens, quæ non præsumitur. » Confer etiam Fagnan. in capit. *Cum in jure*, n. 49 et 50, De offic. et potest. jud. delegat.

ADDITIONES CASINENSES.

Idem sonat legatus, quod *apostolus* et *missus*, dictique sunt legati pontificii, qui mandatas Sedis Apostolicæ vices obire consueverunt, a Romanis Pontificibus vel missi ut conciliis præsiderent; vel ut defensores Patrimonii divi Petri, Ecclesiæ Romanæ essent; vel uti apud reges, magnosque principes Ecclesiæ universalis negotia procurarent; vel ut consecrationes episcoporum, aliaque Sedi Romanæ reservata negotia peragerent in longinquis præsertim occidentalibus regionibus insigniores episcopi, Pontificio vicariatu adaucti, modo personaliter, quoad vel ipsi viverent, vel pontificibus legantibus libuisset; modo realiter ob perpetuam eorumdem sedibus adnexam legationis prærogativam, ut ex cap. *Officii nostri* 1, De offic. leg., in 6. Legatorum hinc alii *nati*, aliique *facti*, seu missi nuncupati fuerunt, ut late apud Lucium nostrum in hoc articulo. Cæterum de hoc argumento iterum sub v. *Nuntius* agemus.

tribus et sororibus nunquam debetur legitima, nisi in casu, quo instituitur turpis persona. — 10. Fratrum et sororum legitima in tali casu esset quarta pars illius, quod ab intestato accepissent. — 11. Legitima debetur ex solis bonis propriis testatoris, deducto prius ære alieno et expensa funeris. — 12. Legitima debetur ex omnibus et singulis bonis ita ut non sit in libertate hæredis universalis eam tradere in rebus sibi benevisis, ut in numerata pecunia, nisi, etc. — 13. Pro deducenda legitima computari debent, non solum bona post mortem testatoris, deducto ære alieno, et expensa funerum, exstantia, sed etiam illa, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt, sive per modum dotis, sive per donationem et hujusmodi, nisi testator contrarium expresse statuerit. — 14. Excipiuntur tamen expensæ factæ a parentibus in educandis liberis, seu studiorum, vel opificii, aut artis addiscendæ causa. — 15. Legitima debetur filiis non solum ex bonis patris, sed etiam ex bonis matris. — 16. Tam ex bonis dotalibus, quam ex extradotalibus libera ab omni onere. — 17. Legitima de omnibus bonis parentum est debita filius de jure naturæ. — 18. Legitima debetur etiam filio legitimo. — 19. Legitima de omnibus bonis non solum debetur filio, sed etiam nepoti, et nepti ex bonis avi, vel avix, non existente tamen eorum patre et matre. — 20. Legitima liberis, et parentibus relinqui debet titulo

institutionis, seu hæredis, adeo ut si alicui relinqueretur alio titulo, posset is testamentum, quoad hæredis institutionem, dicere nullum. — 21. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinqueretur pro legitima minor portio, quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum legitime, quæ actio durat ei usque ad triginta annos. — 22. Si autem sine justa exheredandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinqueretur pro legitima, testamentum ipso jure est nullum, quoad extranei hæredis institutionem, non item quoad legata, commissa, et hujusmodi. — 23. Si vero legitima causa exheredationis sit testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, per quam poterit evacuare testamentum, quoad extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium. — 24. Legitimæ supplementum peti potest, etiamsi pater aliquid reliquerit filio, vel filix pro legitima cum expressa prohibitione, ut nihil aliud possit petere. — 25. Legitima debita hæredibus necessariis debet relinqui sine ullo onere, aut gravamine, alioquin apposita onera et gravamina, habentur pro non apposis. — 26. Legitima debetur filiis statim post obitum patris. — 27. Legitima debetur statim a die obitus patris seu testatoris, una cum fructibus. — 28. Legitima sicut debetur descendenti- bus una cum fructibus a die mortis, ita etiam debetur ascendenti- bus. — 29. Fructus ex legitima debentur, quando hæreditas consistit in s. habilibus, aliisque bonis fructiferis, licet legitima relinqueretur in quantitate. — 30. Hujusmodi fructus ubi debentur, taxantur ad rationem quinque pro centenario, et anno. — 31. Legitima debetur statim non solum a die mortis naturalis, sed etiam a die mortis civilis, unde debetur filio, vel patri statim emissa monachi professione, non expectata

(1. Legitima est portio illa hæreditaria, quæ necessariis hæredibus, scilicet, liberis, nepotibus, et aliis descendenti- bus (iisque deficientibus) ascendenti- bus in testamento necessario relinqui debet. Communissima. (2. Legitima hoc modo debetur liberis, quod si non sint plures quam quatuor, legitima inter eos dividenda erit *triens*, seu tertia pars totius hæreditatis relicte, deductis prius expensis funerum, et ære alieno, computanda; si autem sint quinque aut plures, legitima inter eos dividenda erit *semis*, seu media pars totius hæreditatis, ut supra inter eos æqualiter dividenda. Nov. 18, cap. 1, et Authent. *Novissima*, quod De inoffic. testam. ibi: « Novissima lege cautum est, ut si quatuor sunt filii, vel pauciores ex substantia deficientis *triens*; si plures sint, *semis* debeatur, etc., ex æquo scilicet inter eos dividenda. » De aliis autem partibus extra legitimam parens potest disponere ad suum arbitrium, unde dantur sequentes versus.

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem :
Semissem vero dant natis quinque vel ultra :
Arbitrium sequitur substantia cætera patris.

(3. In supradicto descendenti-um numero computandi sunt etiam, qui hæreditati renuntiarunt, seu religionem incapem bonorum professi sunt. Tunc enim monachus jus petendi legitimam transmisit ad monasterium : Menoch. consil. 77, n. 8. Castrens. consil. 34. *Ego Paulus*, ad fin. n. 4, lib. 1. Boer. dec. 230, n. 4. Gratian. Discept. fo-

morte naturali, etiamsi agatur de monasterio in communi bonorum. — 52. Legitima debetur etiam matri a d. e. missæ professionis filii et filix. — 53. Si vero mater, et pater tempore professionis ad secundas nuptias convolaverint, legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usufructum, non autem quoad proprietatem. — 54. Intellige tamen in casu, quo adhuc existant filii primi matrimonii; secus autem si sint præmortui, et amplius non existant, nec descendentes ex ipsis. — 55. Si vero præmortuis filiis, existant adhuc nepotes, et alii descendentes, proprietatis talis legitima erit servanda pro ipsis. — 56. Quoad monasterium tenetur solvere legitimam filiis patris professi debet eam tradere, etiamsi filii præcedant patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita. — 57. Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quævis filius in vita legitimam, vel supplementum non petierit. — 58. Quomodo hoc jus petendi legitimam etiam filius monachus transmittit ad monasterium, quamvis ignoraverit. — 59. Legitima non debetur, nec peti potest a filio, viventibus adhuc parentibus. — 40. Et hoc procedit etiam respectu nepotis in bonis avi. — 41. Quamvis autem filio non deleatur legitima ante obitum patris, potest tamen a patre vivente persolvi; dummodo intervenat consensus filii. — 42. Quo casu si legitimam filius acceptavit in vita patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates paternæ. — 43. Legitima sicuti non debetur filiis ex bonis parentum adhuc viventium; ita non debetur parentibus ex bonis filiorum pariter viventium. — 44. In casu autem, quo pater in vita dissimulat bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam filio : et in simili casu posset cogi filius ad assignandam legitimam patri. — 45 ad 52. Additiones ex aliena manu.

rens. cap. 26, n. 13, tom. II. Pannimoll. part. tertia posthum. dec. 151, adnot. 7, n. 43, et alii. (4. Non computandi tamen sunt in tali numero, qui legitime sunt exheredati ex aliqua ex quatuordecim causis legitimis exheredandi assignatis, sub verb. *Exhereditatio*, a n. 10, nec qui religionem bonorum incapem professi sunt : cum tales sint omnimode incapaces, et ratione personæ, et ratione monasterii, ut de se patet.

(5. Liberi immediati de illa portione legitima participant in capita; nepotes autem, si plures sint filii unius ex liberis, tanquam unius partis personam repræsentantes, etiam unius tantum portionem participant in stirpem, et si unus sit nepos filius alterius liberi, tantum participat, ac omnes illi plures, id est si ex tribus, verbi gratia, liberis testatoris unus solus superstes existat, et alii duo præmortui sint, remanente unico solo filio ex uno duorum præmortuorum, et quinque remanentibus ex alio, tunc una tertia pars *trientis*, seu tertiæ partis totius hæreditatis testatoris, quæ erat legitima pro tribus suis filiis, debetur suo filio superstiti. Et altera tertia pars debetur illi unico filio relicto ab uno duorum præmortuorum, et alia tertia pars debetur quinque illis relictis ex altero. Unde, ut vides, cum isti quinque repræsentent solum unius partis personam, solum tantum de legitima acquirunt inter omnes, ac ille unicus, qui de se solo unam etiam repræsentat personam æque bene, ac omnes

illi quinque simul. Communis, argum. Authent. *De triente et semisse*, et institut. de hæredibus ab intestato, § Cum filius.

(6. Si autem, nullis exstantibus liberis testatoris, exstent plures nepotes, filii unius solius liberi præmortui, tunc omnes isti nepotes succedunt in capita, et faciunt tantum numerum ad computandam legitimam, ac si essent immediati filii testatoris. Unde si non sint plures, quam quatuor, legitima inter eos æqualiter dividenda est *triens*, seu tertia pars totius hæreditatis; et si sint quinque, aut plures legitima inter eos æqualiter dividenda est *semis*, seu media pars totius dictæ hæreditatis. Communis, argum. cit. Authent. *De triente et semisse*, et instit. De hæredibus ab intest., § Cum filius.

(7. Si vero, nullis exstantibus liberis testatoris, plures exstent nepotes, filii non unius tantum, sed diversorum liberorum dicti testatoris; tunc omnes isti nepotes non succedunt in capita, sed in stirpem, et quantitas eorum legitimæ metienda est a quantitate suorum genitorum, ita ut si eorum genitores non fuerint plus quam quatuor, eorum legitima sit *triens*, et si fuerit quinque, vel plures, eorum legitima sit *semis*. Cum hac tamen advertentia, quod si unius liberi testatoris sit unicus filius, et alterius liberi testatoris sint duo filii, vel tres, vel quinque, vel decem; tantum participat de legitima ille unicus ex se solo, quantum illi duo, vel tres, vel quinque, vel decem omnes simul, cum ex dictis non succedant in capita, sed in stirpem; et ille unicus æque bene repræsentet unam stirpem ex se solo, ac unam tantum stirpem repræsentent omnes dicti alii simul, Communis; arg. cit. Authent. *De triente et semisse*, et cit. institut. de hæredibus ab intestato, § Cum filius. (8. In solo defectu descendendum debetur ipsa legitima ascendentibus, scilicet immediate parenti utrique, vel uno superstite; et neutro superstite, in locum patris succedunt avus, vel avia paterna, et in locum matris avus, vel avia materna. Novell. 110, c. 1, et communis Doctorum teste Reiffenst. lib. III Decret., tit. 16, n. 114. Et talis portio legitima debita ascendentibus universaliter est *triens* seu tertia pars illius hæreditatis, quam, nullo existente testamento, ab intestato accepissent; argum. Authent. *De hæredibus ab intestato*, Authent. *De triente et semisse*, et Novell. 115, cap. 4.

(9. Fratribus et sororibus nunquam debetur legitima, nisi in casu, quo instituitur turpis persona. Communis. Et ratio est, quia legitima debetur solummodo hæredibus necessariis, fratres autem, et sorores nunquam sunt hæredes necessarii, nisi in dicto casu, ut habetur expresse in § 1 Instit. de inofficios. testam., et l. *Fratres* 27. Cod. eod., ubi statuitur, quod fratres, et sorores consanguinei (id est ab eodem patre nati) non sic tamen fratres, et sorores uterini, id est ab eadem matre, sed diversis patribus progeneri, possint in dicto casu tale testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, et rumpere, ibi: « Fratres et so-

rores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris et sororis penitus arceantur, consanguinei autem durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt, si scripti hæredes infamiae, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aspergantur. » (10. Et sic communis doctorum. Fratrum autem, et sororum legitima in tali casu esset quarta pars illius, quod ab intestato accepissent. Communis, arg. leg. Papinianus, § quarta, ff. De inofficios. testament., ubi generaliter legitima erat statuta quarta pars; et licet talis lex fuerit correctæ quoad legitimam descendentium, et ascendentium in Authent. Novissima. c. *De inoffic. testam.*, et in Authent. *De triente et semisse*, et alibi; nullibi tamen invenitur correctæ quoad fratres et sorores.

(11. Legitima debetur ex solis bonis propriis testatoris, deducto prius ære alieno, et expensa funeris. Communis, textu expresso in cit. l. Papinianus. § Quarta autem, ff. De inoff. testam., ibi: « Quarta autem (hodie est tertia, vel media pars, seu *triens*, vel *semis* ex citatis iuribus sub n. 2) accipietur deducto ære alieno, et funeris impensis. » (12. Legitima debetur ex omnibus, et singulis bonis testatoris, ita ut non sit in libertate hæredis universalis eam tradere in rebus sibi benevisis, aut in numerata pecunia, nisi testator expresse aliter disponat, vel ille, cui legitima competit, cum hærede conveniat. Communis cum Rota par. III, recent. dec. 116, n. 4, dec. 514, num. 4, dec. 776, n. 5, et sæpe alibi, arg. Novella 18, c. 1, et l. Scimus, cod. De inoff. testament. Et ratio est, quia legitima est tertia, seu media pars totius substantiæ relictae a testatore; cit. Novell. cap. 1. Authent. *Novissima*, Cod. De inoffic. testam., et authent. *De triente et semisse*. Adeoque non certæ partis talis substantiæ; cum plurimum intersit, unam rem præ alia habere, præsertim cum ille, cui legitima competit, ad rem aliquam affectus est, eo quod majorum fuerit; l. Si in emptione 36, ff. de minor.

(13. Pro deducenda legitima computari debent non solum bona post mortem testatoris, deducto ære alieno, et expensa funerum, exstantia, sed etiam illa, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt, sive per modum dotis, sive per donationem, et hujusmodi, nisi testator contrarium expresse statuerit. Decius ad l. XVII, cod. De collation. Molina disp. 237. Sichard. ad rubr., cod. De collation. n. 11, et alii communiter; arg. tot. tit., cod. De collation. honor. et præsertim Novella 18, cap. 6. (14. Excipiuntur tamen expensæ factæ a parentibus in educandis liberis, seu studiorum, vel officii, aut artis addiscendæ causa, et hujusmodi, ut tenet communis doctorum. (15. Legitima debetur filiis non solum ex bonis patris, ut est certa, et communis cum Rota p. 14, recent. dec. 181, n. 6, et dec. 247, n. 13, et sæpissime alibi, sed etiam ex bonis matris, ut etiam est certa, et communis cum eadem Rota p. III, recent. dec. 103, n. 1, p. 6, dec.

49, n. 5, part. 7, dec. 220, n. 4, p. 10, dec. 192, n. 6, et sæpe alibi. (16. Tam ex bonis dotalibus, quam ex extradotalibus, libera ab omni onere. Rota part. 12, dec. 223, n. 1, et sæpe alibi, et communis doctorum. (17. Legitima enim de omnibus bonis parentum est debita filiis de jure naturæ. Authent. *Ut cum*, De appellat. § Aliud quoque, collat. 8, cap. *Rainutius* 16, De testamentis, ubi expresse dicitur, quod « legitima portio est debita jure naturæ, » et sic Rota p. 3, tom. I, dec. 47, num. 3, dec. 42, num. 14, 15 et seq. (18. Legitima debetur etiam filio legitimo. Rota p. 3, dec. 401, sub-num. 1, par. 4, tom. I, dec. 38, num. 6, part. 5, tom. I, dec. 360, num. 13, et doctorum passim.

(19. Legitima de omnibus bonis non solum debetur filio, sed etiam nepoti, et nepti ex bonis avi, vel avia, non existente tamen eorum patre, vel matre, respective referendo. Rota p. 1, dec. 479, n. 7, p. 4, tom. I, dec. 543, n. 1, p. 5, tom. I, dec. 329, n. 7, p. 6, dec. 353, n. 2, p. 10, dec. 193, n. 9, par. 12, dec. 311, n. 4 et 7, p. 18, tom. I, dec. 190, n. 8, et sæpe alibi, et communis doctorum.

(20. Legitima liberis et parentibus relinqui debet titulo institutionis, seu hæredis, adeo ut alicui relinqueretur alio titulo, verbi gratia, legati, fideicommissi, donationis, et hujusmodi, posset is testamentum, quoad hæredis institutionem, dicere nullum. Communis, textu claro princip. instit. de exhæredand., lib. et § 5. Instit. et Novella 115, c. 3, ubi expresse habetur non sufficere, « si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcumque modum eis dederit legibus debitam portionem. »

(21. Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro legitima minor portio, quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum legitimæ, quæ actio durat ei usque ad triginta annos. l. Omnimode, cod. De inofficios. testament., et Auth. *Ut cum, de appellat. cognoscitur*, § Hæc autem disposuimus, et sic ex communi sententia Gomez. 1, resol., c. 11, n. 23. Molina disp. 177. Layman lib. III, *De justitia*, tract. 5, n. 11. (22. Si autem sine justa exhæredandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinquatur pro legitima, testamentum ipso jure est nullum, quoad extranei hæredis institutionem (non item quoad legata, commissa, et alia). Authent. *Ex causa*, cod. De liberis præteritis. (23. Si vero legitima causa exhæredationis sit testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, per quam poterit evacuare testamentum, quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium; l. Si quis filium 34, l. Scimus 35, cod. De inofficios. testam. et ex communi docet Jul. Clarus q. 40, n. 5.

(24. Legitimæ supplementum peti potest, etiamsi pater aliquid reliquerit filio, vel filia pro legitima, cum expressa prohibitione, ut nihil aliud possit petere: in quantitate enim

legitimæ rex non confidit de singulari affectione patris, et sic quod deficit, ipso jure suppletur etiam contra dispositionem et voluntatem patris; l. Scimus post princip. vers. *Repletionem*, cod. De inofficios. testam., et § Hæc autem disposuimus, vers. *Ceterum*, in Auth. *Ut cum de appell. cognoscitur*, et tenent Salicet. in leg. Quoties, n. 13. cod. De hæred. inst. Aret. in l. Ex facto, n. 15, vers. *Est tamen hodie casus*, De vulgar. subst. Socin. Senior. consil. 1, n. 3 et 4, lib. IV. Matrica De tacit. et ambig. convent., lib. XII, tit. 23, n. 1. Alexander consil. 69, n. 4, et consil. 128, in princip. lib. I, Panimoll. p. 3, posthum. dec. 151, adnot. 7, n. 44, et alii passim. Rota p. 10, recent. dec. 103, n. 35, p. 16, dec. 187, n. 2, et dec. 188, n. 2, et sæpe alibi.

(25. Legitima debita hæredibus necessariis, sive descendentibus, sive ascendentibus, debet relinqui sine ullo onere aut gravamine; alioquin apposita onera et gravamina habentur pro non appositis. Communis, textu expresso in leg. Quoniam, et leg. Scimus, cod. De inofficios. testam., cum similibus et cap. *Rainutius* 16, De testamentis. Rota part. 1, dec. 201, n. 1, par. 8, dec. 269, n. 8, part. 11, dec. 311, n. 8, p. 12, dec. 426, n. 8, et sæpissime alibi.

(26. Legitima debetur filiis statim post obitum patris; Rota p. 4, t. I, dec. 302, n. 3, p. 5, t. I, dec. 272, n. 6, p. 5, t. II, dec. 579, n. 15, et sæpissime alibi. (27. Legitima debetur statim a die obitus patris, seu testatoris una cum fructibus. Rota p. 2, recent. dec. 528, n. 3, p. 9, t. II, dec. 459, n. 10, p. 13, dec. 536, n. 1 et 13, p. 17, dec. 592, n. 5, et sæpe alibi. (28. Legitima sicuti debetur descendentibus una cum fructibus a die mortis, ita etiam debetur ascendentibus. Rota part. recent. dec. 759, n. 3, p. 5, tom. I, dec. 61, n. 65, part. 11, dec. 140, n. 2. (29. Fructus ex legitima debentur, quando hæreditas consistit in stabilibus, aliisque bonis fructiferis; licet legitima relinquatur in quantitate. Rota p. 10, recent. dec. 39, n. 11, par. 12, dec. 20, n. 24, p. 16, dec. 183, n. 7, p. 19, tom. I, dec. 190, n. 2. (30. Hujusmodi fructus ubi debentur, taxantur ad relationem quinque pro centenariis, et anno. Rota par. 12, dec. 20, n. 26, p. 13, dec. 46, n. 3, p. 16, dec. 188, n. 3, par. 17, dec. 192, n. 6 et 7, par. 18, tom. II, dec. 774, n. 16.

(31. Legitima debetur statim non solum a die mortis naturalis, sed etiam a die mortis civilis; unde debetur filio, vel patri statim emissa monachi professione, non expectata morte naturali, etiamsi agatur de monasterio in communi capaci bonorum. Rota p. 5, t. I, dec. 267, n. 1, et seq. p. 5, t. II, dec. 503, n. 1, et seq. p. 17, dec. 100, n. 14, p. 18, t. II, dec. 144, n. 7, p. 18, t. II, dec. 691, n. 18. Fagnan. in cap. *Cum simus* 14, De regularibus, n. 7, ubi dicit quod sic tenent canonistæ communiter, quamvis legistæ videantur sentire contrarium. Panimoll. loc. cit., n. 22, ubi plurimos alios citat contra multos alios ab ipso citatos ibidem,

sub n. 10, tenentes deberi legitimam non a die mortis civilis professi in aliqua religione, sed solum a die mortis naturalis ejusdem; at vero nostra sententia est æquior, et æquitati canonice convenit, adeoque servanda in utroque foro, et crebrius recepta: ut expresse concludit Rota recent. part. 1, tom. I, decis. 267, n. 4.

(32. Legitima debetur etiam matri a die emissæ professionis filii. Sic Rota p. 5, dec. 116, n. 16, et seq. ubi dicit quod hæc opinio est verior et æquior; et quamvis plurimi doctores contrarium sentiant per dispositionem juris antiqui. Authent. *Si qua mulier.*, cod. De sacrosanct. Eccles. tamen dicta Authentica fuit correctæ per c. *Cum simus* 14, De Regularibus; imo Glossa in dicta Authentica est illi contraria, ut observat et tenet Rota part. 5, tom. I, decis. 267, n. 9, et ab hac sententia recedendum non esse firmavit eadem Rota, in Tridentina Legitimæ 3 Januarii 1608, coram Ottembergo relata in decis. 116, n. 16, dec. 277, n. 2, et seq. p. 5, tom. I, dec. 110, n. 14, par. 17, in recent. juxta firmata in decis. 138, n. 1 et seq., par. 1, recent. Et hanc sententiam tanquam æquiorrem, et æquitati canonice consonam in utroque foro servari debere dicit Covarruv. in cap. 2, De testam., n. 7. Tondut. Resol. civil., 194, n. 1, p. 2. Ferentil. in addit. ad Burat. dec. 461, n. 16. Sperell. dec. 32, n. 21, Panimoll. p. 3. posthum., decis. 162, n. 18, ubi pro hac sententia plurimos alios citat.

(33. Si vero mater et pater tempore professionis ad secundas nuptias convolaverint, legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usumfructum, non autem quoad proprietatem propter pœnam secundo nubentibus inflictam, in l. *Feminæ*, cod. De secundis nuptiis, eamque servare tenentur filiis primi matrimonii juxta dispositionem dictæ leg. *Feminæ*, cod. De secundis nuptiis. Rota dec. 41, n. 2, et decis. 676, n. 2, 3 et 4, coram Amat. Dunozet. dec. 534, n. 3, usque ad finem coram Martino decis. 96, a n. 1, et pluribus seq. post Pacific. de Salvian. Interdict. decis. 144, n. 9 et 10, par. 18, tom. I, et decis. 691, a n. 9. usque ad 13, ead. par. 13, tom. II, in recent. et doctores passim, quos sequitur car. Petra tom. III. Comment. ad constit. 4. Innoc. IV, sect. 1, a n. 86 ad 92. Vid. ibi.

(34. Intellige tamen in casu quo adhuc existant filii primi matrimonii; secus autem si sint præmortui, et amplius non existant, nec descendentes ex ipsis; quia tunc mater et pater transeuntes ad secundas nuptias, non consentunt privati filiorum hæreditate, et legitima, etiam quoad proprietatem, quæ eo casu consolidatur cum usufructu. Rota part. 1, recent. decis. 479, n. 9, vers. *Sed cessat omnis difficultas*, Bald. consil. 317, lib. v. Aretin. consil. 40, n. 4. Decius in cap. *Ecclesie Sanctæ Mariæ*, col. 16, n. 122, vers. *Secunda conclusio*, De constit. Amat. Dunozet, decis. 641, n. 3, tom. I, et alii passim.

(35. Si vero præmortuis filiis, existant adhuc nepotes, et alii descendentes, proprie-

tas talis legitimæ erit servanda pro ipsis, textu expresso in l. *Feminæ* § *Illud.*, cod. De secund. nupt., ibi: « Nullum ex priori matrimonio habuerit successorem, » et leg. In quibus 7. cod. eodem tit., ibi: « Filio, vel filiæ nepote, et nepte, vel pluribus relictis, » et in l. Si quis prioris 8, cod. eod. tit. ibi: « Filiis a se vel nepotibus, vel pronepotibus relictis. » Et ratio est, quia pœnæ secundo nubentium inductæ fuerunt, nedum favore filiorum, sed totius posteritatis. Bertrand. consil. 166, n. 1, lib. i. Ruin. in consil. 58, n. 8, lib. v. Panimoll. part. 3, Posthum., decis. 151, n. 34, et seq. cum pluribus aliis ibi citatis.

(36. Quando monasterium tenetur solvere legitimam filiis patris professi, debet eam tradere, etiamsi filii præcedant patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita. Merlin. De legitima, l. v, t. III, quæst. 3, n. 15. Honded. consil. 60, l. ii. Panimoll. loc. cit., n. 41, et alii. (37. Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quamvis filius in vita legitimam, vel supplementum non petierit. Craver., consil. 312, n. 4. Alexander consil. 55, et consil. 250, lib. ii. Decius consil. 81, et consil. 303. Anton. De tempore legati, lib. ii, cap. 98, n. 18. Salicet. in l. Scimus, cod. De inofficios. testament. Panimoll. loc. cit., n. 42, et alii adducti a Gratian. Discept. forens., cap. 271, n. 14, tom. II. (38. Quinimo hoc jus petendi legitimam etiam filiis monachus transmittit ad monasterium, quamvis ignoraverit. Menoch. consil. 78, n. 8. Castr. consil. 34. Ego Paulus ad fin., n. 4, l. i. Boer. d. 250, n. 4, quos refert Gratian. dict. discept. 271, n. 15, tom. II, Panimoll. loc. cit., n. 43, et alii.

(39. Legitima non debetur, nec peti potest a filio, viventibus adhuc parentibus. Rota recent. par. 4, tom. I, dec. 235, n. 14, par. 4, tom. II, dec. 203, n. 10, et dec. 459, n. 7, par. 5, tom. I, dec. 141, n. 5, part. 11, dec. 180, n. 8, part. 14, dec. 417, n. 25. Panimoll. l. c., n. 17, et alii communiter. (40. Et hoc procedit etiam respectu nepotis in bonis Avi. Rota par. 3, recent. dec. 446, n. 3.

(41. Quamvis autem filio non debeatur legitima ante obitum patris, potest tamen a patre vivente persolvi. Rota par. 4, tom. I, dec. 623, sub n. 2, et Annotat. ad dec. 29, n. 27, par. 8. Dummodo interveniat consensus filii. Rota par. 19, tom. I, dec. 243, n. 1 et 2. (42. Quo casu si legitimam filius acceptavit in vita patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates paternæ. Rota part. 18, tom. I, dec. 385, n. 5, Et in eo casu pater ad nihil ulterius tenetur, si legitimam ab eo vivente assignatam filius dilapidet. Rota p. 19, tom. I, dec. 344, n. 9.

(43. Legitima sicuti non debetur filiis ex bonis parentum adhuc viventium; ita non debetur parentibus ex bonis filiorum pariter viventium, par. 10, dec. 326, n. 41. (44. In casu autem quo pater in vita dissiparet bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam filio, et in simili casu posset cogi filius ad assignandam legitimam patri. Rota

p. 8, dec. 488, n. 5, et Ann. ad dec. 29, n. 29, et late seq. p. 1.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. De legitima tria hic omittenda haud sunt; primum est, quod si legitima ex nuda juris dispositione debeat, pro ea non nisi conditio ex lege competit, non item actio hypothecaria. (46. Quod si debeat præterea legitima ex judicio defuncti, competit pro ipsa hypothecaria actio; (47. dummodo tamen legitimarius, obsequendo judicio defuncti, legitimam detrahere velit juxta formam ab ipso præscriptam; secus e contra; Rota in Romana, seu Senen. Legitimæ 20 Febr. 1747, et 2 Junii ejusdem anni 1747, coram eminentis. Bussio.

(48. Alterum est, quod dispositio textus in leg. *Jubemus*, quod soli filii non teneantur imputare fructus in Trebellianicam, posteriores vero descendentes teneantur, trahi haud potest ad legitimam, (49. nam nec filii, nec posteriores descendentes, quibus legitima debetur, imputare tenentur fructus in legi-

LEGITIMATIO.

SUMMARIUM.

1.* Quando legitimatio prolis per subsequens matrimonium fieri possit: ad n. 5 — 6. Agitur de irregularitate ex defectu natalium ubi nonnulla ad

*Per subsequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Benedict. XIV. Bull. tom. I, n. 113, epist. incip. *Reddite Nobis*.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Sub v. *Filius*, Lucius noster agit de legitimatione prolis per subsequens matrimonium, ut pro variis casibus videre est ibi, n. 32 et seqq.

(2. Liceat amplius sequentia ex Barbosa notare: « Advertendum duxi, sic ille, in hac materia (legitimationis) non omnes filios ex iisdem parentibus ante tale matrimonium natos, per subsequens matrimonium legitimari, sed solum naturales; ille autem *naturalis* reputandus est, qui, licet conceptus ex iis parentibus sit, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens matrimonium, quod tempore natiuitatis jam cessaverat, veluti si *soluta* concepit ex conjugato; at vero tempore natiuitatis filii mortua erat uxor illius conjugati; vel si soluta concepit ex consanguineo, et affine, et tempore natiuitatis filii obtenta erat dispensatio, ut contrahere possent; tunc tali casu filius natus est *naturalis*, et non *spurius*, eo quod status filii ex tempore conceptionis, aut natiuitatis, prout magis tali filio erit expediens, est judicandum... Unde colligitur parentes habiles ad contrahendum, ut eorum filii per subsequens ma-

timam: Rota in Bonon. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 1 Jun. ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom.

(50. Tertium est, quod non nisi cautela socini prohiberi a patre filiis potest legitima. Quando vero adhibita dici possit necne cautela socini, tradit Rota in Romana immissionis 16 Februarii 1742, et 4 Maii ejusdem anni 1742, coram illustrissimo Molino in civitatis plebis; manutentionis 29 Jan. 1745, et 30 Apr. ejusdem anni coram bon. mem. de Vais, in Bononien. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 16 Junii ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom. et 4 Maii 1748, coram Illustris. Clement.

(51. Cæterum si filius nec expresse, nec tacite acceptet prohibitionem legitimæ, tametsi factam cum cautela socini, non excluditur a jure ipsam petendi; Rota in Romana Hæreditatis 5 Martii 1742, cor. b. m. Nunez. (52. Quando vero Filius acceptasse dici possit, necne, prohibitionem legitimæ cum cautela socini, vide Rot. apud paulo ante citatas decisiones.

rem.—7. Affertur integra epistola Benedicti XIV *Reddite Nobis*, ubi de legitimatione prolis per subsequens matrimonium late disseritur.

trimonium legitimentur, esse debere tempore conceptionis, vel partus, prout sit uti lius, et tempore, quo conjugium celebratur nulla cura habenda de tempore intermedio et intermediis parentum nuptiis... Ratio est, quia favor filiorum postulat, ut tempus illud attendatur, quod ipsis favorabilis est. » Collect. DD. in lib. iv decret., tit. 17. Qui filii sint legitimi, cap. *Tanta*, 6, n. 30 et 31.

Pari modo Reiffenstuel sic habet: « Infer tur... quod, si vir, vivente uxore sua, aliam imprægnat, et uxor dein moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimitur per subsequens parentum matrimonium. Nec obstat huic celebrationi cap. *Tanta* 6, tit. 17. Qui filii sint legitimi, ubi talem partum non legitimari, decidi videtur. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo adulterinus partus editus est ante mortem uxoris, uti patet ex illis verbis: *Si vir, vivente uxore, ex alia prolem susceperit*, quia proles suscepta non dicitur ante natiuitatem. » Ad tit. 17, ex. Qui filii sint legitimi, § 2, n. 40.

(3. Neque obstat Justinianum l. xi, cod. De natur. liberis, Novell. 12, cap. 4, Novell. 89, cap. 8, videri requirere ad legitimationem prolis per subsequens matrimonium, ut tempore, non solum natiuitatis, sed et conceptionis (ipsius prolis), inter parentes connubium potuerit haberi. Nam etsi ita se haberent hujusmodi imperatoris leges, passim tradunt doctores, per humaniores mores illas fuisse subactas. Inspicere igitur haud oportet invisam parentum venerem, ubi legitimis nuptiis vitium sit emendatum.